


HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


ET
VE
RI
TAS
CHRISTO
ECCLESIAE



p206.



Imaguncula alrunica,

ex utroque latere, longitudinis et latitudinis mensura ad amussim observata, secundum verum Originale, quod in summe rever: atq doctiss: Dni. Hermanni von der Hardt, Cœnobii Mariæbergensis Præpositi, Græcæque et orientalis Litteraturæ in inclÿta Academia Julia Professoris celeberrimi, museo adservatur, delineata atque exsculpta.

IO. SAMVEL. SCHMIDII

COMMENTATIO EPISTOLICA DE ALRVNIS GERMANORVM,

MISSA AD

VIRVM REV.

G. C. ROTHIVM,

VERB. DIV. MIN. BOMBECAE IN VETERE MARCHIA,

QVA DE


FEMINIS ET IMAGVNCVLIS SACRIS DISSERITVR.

ACCEDIT

ECLOGA ANTIQVARIA DE IMAGINIBVS, ÆDIVM ORNAMENTIS.

HALAE MAGDEB. 1739.
Apud CHRIST. LVDOV. SYMPHERVM,
ACAD. TYPOGR.

Ex Bibliotheca
Caroli Adolphi Schorisch
[illegible] MDCCCXXIII.



[illegible]



VIRO
PLVRIMVM REVERENDO
GOTTFR. CHRISTIANO ROTHIO
S. D.
JO. SAM. SCHMID.


imul cum litteris, quas ad me nouissime dedisti, vir amicissime, benevole mittebas commendationem TVAM historico - anti-

quariam de *imagunculis Germanorum magicis, Helmstadii* haud ita pridem typis exſcriptam. Ea valde delectatus ſum: quippe qua & de imaginibus Germanorum veterum, & de eorundem feminis *alrunicis* erudite exponitur: non igitur, quod legerim, me piget. Memoras enim cum erudita diligentia in compendio non pauca, notatu digniſſima de antiquitatibus Germanorum. Legendo autem quaedam mihi ſubnaſcebantur obſeruationes, quibus, quum ad illuſtrandum ſanctiorem codicem aptae ſint, commemoratio iſta *alrunica* nobis fructuoſior reddi poteſt: ita vt haec quoque antiquitatis particula non-

nonnulli vſui ſit philologiae ſacrae ſtudioſis. Vaciuis igitur horis has annotationes calamo notaui, easue TIBI potiſſimum transmiſi, primo vt de iis, id quod de hac re quam accuratiſſime noſti, iudicium feras; deinde vt teſtatum TIBI faciam, iucundam TVAM commentationem in meo etiam muſeo tuliſſe frugem. Itaque ſequentes TVO examini exhibentur obſeruationes.

Principio autem, ex hiſtoria abs TE bene contexta, quid ſint imagines *alrunicae?* quid fuerint *alrunae?* breuibus repetam, neceſſe eſt. Habebant veteres Germani inter ſe *alrunas*, hoc eſt, *feminas ſacras*,

ceu ſacerdotes & propheticiſſas. Hae ſibi formabant imagunculas, quales etiamnum in nundinis medici circumforanei ſecum crebro habent. Tales imagines, e certis plantarum radicibus arte magica comparatae, larium domeſticorum inſtar erant. Ab illis enim petebant quaeuis fauſta, honores ac pecuniae incrementum. Illae futura praeſagiebant, arcana palam faciebant, & in re ambigua decernebant. Nam a feminis ſacris conſultae, reſponſa dabant vel clara voce vel capitis nictu. Atque has imagines appellitarunt *alrunicas*. Vir illuſtris IO. PETRVS de LVDEWIG, illud non Fridricianae


nae academiae, verum totius Germaniae lumen, affirmabat coram, hodienum in Franconia & Sueuia homines, quibus omnia feliciter cedunt, subinde in suspicionem cadere plebeculae, quod habeant *alrunam*, siue idolum alrunicum, quod ipsos ditet. In vernacula: **Er hat ein Alrunlein**, vel iuxta Sueuicam dialectum: **Alrunle; Er kan wohl reich werden.** In hisce oris Magdeburgicis superstitio ista ita exprimi solet: **Dem Manne fehlet niemahls Geld. Er hat einen Hecke-Thaler.** Eiusmodi circa imagines iamiam nonnullas dabimus annotationes, quae, vtut ad omnem antiquitatem respici-

 ant,

ant, potiſſimum tamen Hebraeae gentis hiſtoriam concernunt; quia nobis occaſionem dabimus, hanc quoqu materiam reddendi fructuo ſam.



OBSER



OBSERVATIO I.
GRAMMATICA.

Quaereretur: quomodo imagines sacras denominare soliti sint Hebraei? & *quaenam denominatio Hebraea imagunculis alrunicis sigillatim conueniat?* Ditissimam fere esse linguam Hebraeam, iure arbitrantur eius studiosi, quicquid nonnulli obiecerint. Voluptatis gratia colligamus vocabula, quibus imagines sacrae designantur in Hebraeo codice. Ex quo vno specimine satis apparebit, non inopem linguarum esse matrem.

Tales imagines appellantur in diuinis litteris.

a. pesilim, sculptilia, Graecce γλυπτα. Hebraea vox, resultans a radice *pasal, sculpsit*, significat proprie *idolum sculptum*. Notandum vero, hoc vocabulum plerumque cum aliis iungi. Iunctim enim ponitur α. vel cum vocabulo *temunah*, quod itidem idolum designat, significans *simulacrum*, Graecce ὁμοίωμα, *Exodi XX, 4. ne facias tibi sculptile, pesel, aut vllum simulacrum, temunah*: β. vel cum voce *semel* siue *samel*, quae vox idolum aeque denotat, significans *similitudinem*, *2. Chron. XXXIII, 7.* Manasses locauit in aede domini τὸ *pesel hassemel*. γ. vel cum vtraque voce *temunah* & *samel* simul, vt *Deut. IV, 16. ne faciatis vobis pesel temunah col samel, sculptilia simulacra vllius similitudinis.*

b. Deinde appellantur *tsirim*, *imagines*. *Iesa. XLV, 16.* a radice צור *formare*. Semel haec vox occurrit, quate-

quatenus ſcilicet idolum ſignificat. Aliis ſignificationibus plus ſemel legitur, vti lexica tradunt.

c. Tertio nuncupantur *neſech* & *maſecha, idola fuſilia.* Haec ambo vocabula contermina idem ſignificant, deriuanda ab eodem radice: *naſach*, fudit. Reperii appellationem idolorum *neſech Eſa. XLI, cap. vlt.* & *maſecha Num. XXXIII, 52.*

d. Quarto occurrit idoli denominatio *tſelem, imago,* rem quandam adumbrans, a radice *tſalam, adumbrauit*: quia vetuſtiſſimi pictores res non aliter pingebant, quam vmbram, lineis circumſcriptam. Hanc aptam rationem ſuppeditat nobis *cel.* IO. SIMONIS in *arcano format. nomin. Hebr. l. pag. 275.* Atque huic vocabulo *tſelem* apprime reſpondet Graecorum ἀποσκίασμα, & Latinorum *adumbratio.* Ergo concludo, *tſelem* proprie ſignificare *idolum, in tabula pictum.* At vero *Num. XXXIII, 52.* coniungi-

cant a *raunen*, an vero hoc verbum *raunen* a ſubſtantiuo illo *runa* deriuandum ſit? Nam penes Germanos nonnunquam *ſubſtantiua a verbis* deriuanda ſunt. v. g. *Schnit a ſchneiden, Schmiede*, officina fabrorum, a *ſchmieden*. Nam quicquid natura prius eſt, eius etiam denominatio prior eſt. Atuero τὸ *ſchneiden* prius eſt τῷ *Schnit*. Ergo etiam vocabulum *ſchneiden* aetate maius eſt, quam *Schnit*. Adeoque hoc ſubſtantiuum ab illo verbo non poteſt non deduci. Par quoque ratio eſt circa *Schmiede*, & *ſchmieden*. Nam principio *ferrum cudere*, appellabant *ſchmieden*. Atque deinde locus, huic labori accommodatus, vocabatur *die Schmiede*. Adeoque huius ſubſtantiui geneſis fit a verbo. Nonnunquam vero, immo vſitatius *verba a ſubſtantiuis* genita videntur. v. g. meſſen a Maas. Quidnam ergo dicendum eſt: an *runa* a *raunen*, an vero hoc ab illo prouenerit? me in

ambi-

Paged wrong.

ambiguo esse, fateor. Sed nihil attinet hac vice, num *runa* a *runen*, an vero *runen* a *runa* natum sit? obiter tantum haec proposui. Perscrutemur potius certissimum & natiuum significatum earum vocum.

Vocabulum *runa*, *proprie* significat *MVRMVR*. DIEDERICVS a STADE in libro: *Erläuter - und Erkläbrung der vornehmsten deutschen Wörter, deren sich* D. MARTIN LVTHER *in Uebersetzung der Bibel gebrauchet, Bremae MDCCXXIV. edition. alt. pag. 402.* e GOLDASTI *annot. in paraenet. vet. p. 454. notat: weil die Zauberer bey sich heimlich zu* raunen, *und zu* murmeln *pflegen, so wird von den - - - gesaget, dass sie runen.* Inde DIEDERICVS vocabulum quoque RVNZABEL, *pythonissam*, deducit, quasi murmurantem cum diabolo. Hanc etiam vocis, *runa*, significationem confirmat LEZNER, *chronic. Dassel. fol. 122. als das 1545. Jahr heran getreten, ist das vorige geraune offenbahr*

worden. Qua de caufa biblia Belgica *Pfalm. cit. verf. 8.* loco *raunen*, feu vt inferioris Saxoniae verfio habet, *ruhnen*, verterunt: *mommelen.* Vnde LAMPIVS in libro: *das herrliche Ende der Leyden Christi über Pfalm. XLI, pag. 217.* locum noftrum dedit: *alle meine Haffer werden über mich miteinander* murmeln. Atque in bibliis Germanicis, a reu. NICOL. HAASIO editis, breuiter, fed bene explicatur: *alle, die mich haffen*, raunen, (*ftecken die Köpffe zufammen und* murmeln heimlich). Notatu quoque non indigna funt, quae gnauus ille antiquitatum fcrutator, IO. SAVBERTVS obferuat libr. *de facrificiis cap. VII.* fubinde ab initio: *Runen*, ait, *fiue* raunen *vox eft ex intimo Germanorum antiquario, fignificatque* magice fufurrare, *fecreto loqui, vnde* LVTHERVS *illud Pfalm. XLI, 8. aduerfus me muffitauerunt*, propriiffime *conuertit: raunen miteinander über mich.* Cum hac voce *raunen*

feu

ſeu *runen* conuenire arbitror Latino- rum *grunnire*. Nam non ſolum por- ci Romanorum, ſed eorum etiam dii quidam, oracula reddentes, di- cebantur *grunnientes*. Nonne inno- teſcebant *lares grundales* ſeu *grunni- entes*? NONIVS *cap*. 2. *) Nec non cum voce *runen* concinit verbum Gal- lis hodienum vſitatum: *grommeler*, *grunnire*, veluti in verſione Gallica

*) Scilicet, vt ex hiſtoria ſatis conſtat, Romulus habebat ſcropham, quae triginta pepererat por- cos. Qua ille re tantopere tripudiabat, vt gra- ta mente ſuam propter ſuem exſtrueret fanum in honorem *larium grundulium*.

O Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!

Non adeo mirum eſt, ethnicos eiusmodi deos ſuarios & foetulentos coluiſſe; etiamnum ab idololatris *Trangebarenſibus* in Aſia vaccae, quid, quod fimum vaccinum dignum habetur, quod ſuſpiciant cultu ſacro. Vid. *Bericht der Kœnigl. Dæniſchen Miſſionarien in Oſt-Jndien* edit. a vener. GOTTH. AVG. FRANCKIO continuat. XLIV. pag. 1056. vbi legimus: *ſi verehren nicht nur die Kühe ſelbſt, ſondern auch ſo gar deſſelben Koth.* De his hominibus dicere cum Paulo, fas eſt ad *Roman. I*, 22. ἐμωράνθησαν. Gratias agamus patri, qui nos ex his tenebris vindicauit!

reperitur *Esa. VIII. 19. les devins grommelent, magi murmurant.*

Satis igitur, vt opinor, probaui, *runa* & *runen*, siue *raunen* propriissime denotare *murmur* & *murmurare*. Pergamus vero. *Oraculum* itidem a Germanis appellatum esse *runa*, ex antiquitate satis constat. Ratio huiuscemodi appellationis facile nobis subolet. Videlicet oracula vocabantur *runa*, quia rauca & atroci voce, hoc est, murmure edebantur, vt reuerentiam adhiberent auditores. Atque porro oracula eloquens aut interpretans, siue mas esset siue femina, a Germanis perinde vocabatur rune, Belgice *een mommelaer.* Adeoque feminae istae sacrae, de quibus docte egisti, quia in *omnibus* rebus oraculi instar erant patribus nostris, vocitabantur *al-runae*, praefixa particula *al*, *omne*. *Progrediamur* ultra. Oracula sunt mysteria. Oraculis eorumue interpretibus maximam scientiam ac sapientiam

tiam tribuebant veteres. Ergo *runa* denotabat etiam *mysterium*, *scientiam*, *sapientiam*; & *rune* significabat personam *eruditam* ac *sapientem*.

Vt planius patescat successio variarum significationum, de quibus disserui; exponam earum summam in nuce.

a. *substantiuum Runa* denotat
 α. *murmur*, proprie,
 β. *incantationem* metaphorice, nec non *oraculum*, vtpote murmurante lingua editum.
 γ. scientiam, *sapientiamque omnem*, quae eo tempore e solo oraculorum tripode spirabat. Igitur

b. *adiectiuum rune* designat
 α. *murmurantem*, *een mommelaer*,
 β. *mystam*, *seu oraculi ministrum*, *vt* & *praestigiatorem*.
 γ. *prudentem* hominem, qui vltra peram sapit.
 Alrune ergo, superlatiuo gradu, significat hominem, qui sapi-

entia omnes multo antecedi

Ergo denique

c. *verbum raunen* siue *runen* indic

α. *murmurare*,

β. *murmurare magice*, seu incantar

γ. *praesagire*. Atque hae tres signi-ficationes perbene quadrant a *Psalm. XLI, 8*.

Iam quoque, quid sit *idolum al-runicum*, quid femina *alruna?* lucu-lenter apparet. *Alrunae* erant femi-nae sagae, oracula reddentes & quae multa scire volebant, vt Tullius lo-quitur. Imagines autem *alrunicae* erant eae icunculae sagarum istarum sacrae, quarum ope diuinabant ar-cana, praedicebant fata, ac vel fau-sta vel mala inferre se posse, confi-debant. *)

Reuer

*) Ingeniose, vt solet, vocabulum *alruna* inda-gat *Saubertus* de *sacrific.* c. VIII. Quando quidem enim *alruna* veteribus ab histo[illegible] sa[illegible] pe pronunciatum est; *aurinia*; itaque hanc vo-cem resoluit Saubertus tali modo: AVRINIA d. citu

Reuertamur nunc ad iucundissima scripturae sacrae oracula, forte obseruationem biblicam concinnaturi. Cum tali proprio & metaphorico vocum *runa*, *rune* & *raunen* significatu, quem exposui, concordat significatus vocabulorum Hebraeorum לָחַשׁ & לָחַשׁ *Psalm. XLI, 8.* quod LUTHERUS vertit: *sie raunen*, Hebraice sonat יִתְלַחֲשׁוּ. Versio Alexan-

 drina

citur quasi OR RVNA, *i. e. non altiori voce loquens, quam quis alteri in* AVREM *susurrat.* Mox vero aliam cudit deriuationem: *appellatae forsan* ALRVNAE, *quasi* ALTRVNAE, *i. e. vetulae murmurantes.* Tertiam quoque appendit ἐξηγητὴς: ALRVNAE, *vel, si manis,* HELLERVNAE, *i. e. in infernum secreto cum daemonibus colloquentes.* Enimuero non opus est, tot incertas euolutiones corrogare; fidendum potius liquidissimo significatui, qui sua se sponte prodit, sic vt *al-runa* designet personam, *omni* scientia ac sagacitate imbutam. Abeat quoque cum ceteris SCHEDIVS, qui libro, de *diis Germanorum*, *alrunas* in Hebraeam linguam transplantat, quasi ab אֵל *excelsum* & רֹן *canere* deriuari queant, quia de excelsis cecinerunt diebus sacris. Mihi quidem non arridet haec genealogia vocis alrunae.

drina perbene: *κατ' ἐμοῦ ἐψιθύριζον*, *aduersus me susurrarunt*, vt etiam latinissimus interpres, CASTELLIO: *in me susurrant*. Has versiones ideo collegi, vt inde pateat, interpretes consentire, quod לחש *murmurare* potissimum hoc loco significet. Quum ergo LUTHERUS id explicuerit *raunen*; videmus inde liquido, quod obsoleta vox *raunen* vsu natiuo denotauerit: *murmurare*.

Nunc porro obserua, quod Hebraeorum *lagasch* aeque ac Germanorum *raunen*, vti diximus, non tantum significet *murmurare*, verum etiam *murmurare magice*, seu *incantare*. *Ierem. VIII, 17.* ait deus: *immittam in vos serpentes, & basiliscos, aduersus quos non valet* לחש *incantatio*. Inde *Iesa. III, 20.* vbi ornatum fere omnem mulierum Israëliticarum condiscimus, occurrit quoque לְחָשִׁים, quod secundum AB. EZRAM biblia Hebraea Halensia exprimunt: *amuleta seu*

seu incantationes in auro & argento scriptae. Nunc examines, TE quaeso, cogitationem meam. Vellem intelligere per *lechaschim* istiusmodi *imagunculas magicas*, quales Germani quondam appellitarunt *alrunas*. Nam aliquanto post videbimus, eiusmodi icunculas apud plurimas gentes vsu fuisse, ita vt eas vel domi conseruarent, vel secum portarent. Adeoque is antiquissimus mos etiam Israëliticas feminas forte eo tempore incessit. Nam portabant *lechaschim*? hoc oritur a *lachasch*. Sed quo nexu? *Lachasch* significat primo *murmur*. Eo respectu *lechaschim*, ornamentum muliebre denotans, inde deriuari nequit. *Lachasch* autem notat quoque *incantationem, praestigiasque*. Hic significatus valeat necesse est; ita vt *lechaschim*, si quid diuinare possum, secus indicare nihil possit, quam eiusmodi imagunculas, siue signa, siue picturas magicas, artis nigrae in-

cantationibus consecratas, & vel in pectore vel circum lacertos a puellis & mulieribus Israëliticis gestas, quales *alrunas* vsitate nuncupabant maiores nostri. Ad TE, vir docte, in censum venit haec interpretatio.

OBSERVATIO III.

HISTORIAM IMAGVNCVLARVM SACRARVM PARALLELAM BREVITER EXPONENS.

De eiusmodi imagunculis, quas Germani *alrunas* vocitabant, omni fere memoria penes celeberrimas gentes fragmenta inuenimus. Neutiquam tamen, iis me iungo, qui *alrunarum* originem vel a cherubinis Israëliticis vel ab aliis ritibus sacris mox Iudaeorum mox Graecorum deriuare studuerunt. Tales immaturae cogitationes vapulant *comment.* *TVA* de *alrunis cap. II. §. 1.* id tantum volo, imagines, *alrunis* nostris perquam

quam similes, apud ceteras gentes subinde conspici. Quin TV ipse §. 2. p. 17. 18. ad hanc meditationem nos inuitas, merito obseruans, vt Teutones habuerint suas *alrunas*, ita Graecos & Romanos suos coluisse homunculos mandragoreos & alia idola. Tametsi igitur varia variarum gentium idola differunt in multis; in plurimis tamen non disconueniunt. Extra limites epistolae vagarer, si e ritibus sacris celeberrimorum populorum cuncta colligerem, quae iamiam commemoranda essent non intempestiue. Satis erit, specimen quoddam hoc loco dedisse.

I. *In Syria* olim *ἀνάλογον alrunarum* fuisse *teraphimos*, ego totus arbitror. Hoc teraphimorum cognomen crebrius legitur in scriptura sacra, quam vt vlli incognitum sit. Primo, ni fallor, eorum mentio iniicitur in historia Labanis, Syri, *Genes. XXVIII, 3.* saepenumero postea cernebantur in

Iudaea.

Iudaea. Inde Iosias, princeps optimus, cultum teraphicum intermitti iubebat *2. Reg. XXIII, 24.* teraphimi vero apud alias etiam gentes innotuerunt, v. g. apud Babylonios *Ezech. XXI, 21.* Nolo autem redintegrare certamina, longe valdeque gesta, ad quaenam entia pertinuerint teraphimi? Has tantum annotationes circa imagines istas affero, quas nemo in dubium temere vocauerit. Certo constat

a. Teraphimos fuisse effigies sacras. Laban eos appellat deos suos *Genes. XXXI, 30.*

b. Teraphimos non ita magnos fuisse. Id inde liquet, quod Rahel vno plures suis vestimentis occultare potuerit, vt pater, Laban, ne animaduerteret. Non quidem inficior, interdum teraphimos maioris fuisse formae; velut illud erat idolum, quod Michal, loco mariti, mittebat patri *1. Sam. XIX, 13.* Nihilo tamen secius

tera-

teraphimos tantilli quoque moduli in antiquitatis ſcena conſpici, ex hiſtoria Labanis rato habemus.

c. Per teraphimos ſalutem & incolumitatem ſibi adferri, credidiſſe teraphimolatras. Idquod rurſum e *Iudic. XVII, 3.* condocemur. Micha enim hoc loco laetatur de cultu teraphico, in aedibus ſuis inſtituto; ex quo benedictionem diuinam ſibi pollicetur. Fortunae quidem ſortem non ſuis teraphimis, ſed Iehouae ſe debere, affirmat, expreſſe aiens: *mihi Ioua beneſaciet, quia Leuitam ſacerdotem habeo.* Veruntamen Iouam in & ſub imaginibus iſtis venerabatur Micha. Ergo profecto non aliunde, quam per ſuos teraphimos fruges benedictionis expectabat.

d. Teraphimos, tanquam oracula domeſtica, ſuis cultoribus, vti credebant, interdum reſponſa dediſſe. Hoc ſubindicat *Ezechiel c. XXI, 21.* & *Zacharias c. X, 2.*

Has

Has igitur quatuor propositiones de teraphicis idolis nemo refellet. Riuos ergo claudo hac quaestione: nonne id genus teraphimi parum absunt ab imagunculis sacris *alrunitis* Teutonum? Attamen aliquanto post in additamentis huius obseruationis tertiae depromemus alias Germanorum imagines sacras, quibus teraphimi similes sunt, vt nihil magis.

II. *Apud Graecos* etiam eiusdem farraginis imagunculae notiores factae sunt, quam vt vllum latere possint. Notissimas modo attingam. Imagines puto, a Demetrio, aurifabro, in honorem Dianae conflatas *Actor.XIX.* Aquam in oceanum portarem, si illustrare vellem istam historiam, a tot eruditorum magistris, maxime a ven. DEYLINGIO in *obseru. s. P. III. p. 362. seqq.* & a Lubecensium sidere, IO. HENR. a SEELEN, in *meditat. exeget. P. I. p. 501. seqq.* satis illustratam.

Moneo

Moneo ſaltem, lippum eſſe oportere, qui non apertam *alrunicas* inter & argenteas Dianae imagines ſimilitudinem videat.

III. *A Romanis* tales imagunculas perinde cultas eſſe, paſſim legimus. Tradunt ſcriptores, *Syllam*, dictatorem, geſtaſſe ſemper in proelio ſtatunculam Iouis aut Apollinis, quam periculoſo proelio victor exoſculans, ait: *Iupiter! paene ego tecum & tu mecum concidiſſes!* CRANTZIUS hanc hiſtoriam ſpondeat in *Saxon. lib. 9. c. 10.* Num poteſt ouum ouo ſimilius eſſe, quam alrunis noſtris ſtatuncula Syllae portatilis? M. AVRELIVS, imperator, magiſtris ſuis, tantum honoris detulit, vt imagines eorum aureas in larario ſuo haberet, teſte CAPITOLINO; vt etiam, L. VITELLIVM, imperatoris AVLI patrem, feciſſe, SVETONIVS refert, dicens: *Narciſſi & Pallantis imagines aureas inter lares coluit.* Scite hiſtorici tales imagines

gines ad *lares* referunt. Nam apud Romanos occurrunt varii dii. Erant vel *maiorum gentium* vel *minorum*. Dii maiorum gentium ita appellabantur, quia a celeberrimis gentibus, Graiis & Quiritibus pro diis vnanimiter habebantur. Dii minorum gentium erant, qui a certa quadam natione prioribus adiungebantur. Dii minores in diuersos iterum abeunt ordines. Alii erant *tutelares totius imperii Romani*, quos proprie *penates* appellabant; alii erant *tutelares familiarum*, quos proprie *lares* vocabant, quosue Priscianus κατοικιδίους θεούς perquam accurate nuncupat: nam quauis domo erat *lararium*, in quo colebantur lares; alii erant *tutelares singularum personarum*, qui *genii* audiebant: nam statuebant, quemuis mortalem suum habere daemonem. Hoc catalogo breui sed admodum distincto, mihimet deorum gentilium chorum optime repraesentare

semper

ſemper potui. Quibuscum vero diis aequiparanda, ſunt alrunica idola? Haud difficile eſt, ex hoc deorum indice cognitu, *alrunas* pari ſerie ambulare cum diis laribus nec non cum penatibus. Vid. *comment. TVA c. II. §. 4.*

Additamenti loco *primo* hiſtoriam adiiciam, e qua, quomodo ſacrae iſtiusmodi imagunculae oracula dederint, aliquanto luculentius intelligemus. Commemoratio haec ad priſcos Germanos non quidem ſpectat, ſed ad Italos; attamen vniverſae imaginum magicarum hiſtoriae lux inde accenditur. Vir cel. *Iurieus* eam fidenter memorat in *hiſtoire des dogmes & de cult. de l' Egliſe part. III. ch. II p. 451.* & teſtem appellat GVILIELMVM MALMESBVRIENSEM, ſcriptorem Anglum, qui libro *de geſtis regum Angliae* ipſi praecantauerit. Relata refert *Iurieus* ita: GERBERT, *qui fut Archevêque de Rheims,*

C *puis*

puis de Ravenne, & qui devint Pape sous le nom de Silvestre II, fit une tête de fonte, comme d'une statuë, sous certaines étoiles & constellations, au tems, que toutes les Planetes recommencent leurs cours. Cette tête ne parloit, que quand elle étoit interrogée, mais elle ne manquoit pas à dire la verité, par de simples negations & affirmations. Par exemple, quand Gerbert lui demandoit, serai-je Pape, elle repondit, oui. Quand il lui demanda, mourai-je avant, que d'avoir pû chanter Messe dans Jerusalem, la tête répondit, non. Addit *Jurieus: Ce bon Pape, qui ne croyoit mourir, qu'aprés qu'il auroit chanté Messe dans Jerusalem, n'avoit pas hâte d'y aller; mais il fut trompé par son Démon; car il y avoit une chapelle à Rome, qui s'appelloit Jerusalem. Ce Pape y chanta Messe, & mourut incontinent aprés.* Haec Jurieus. Fides sit penes auctorem.

Deinde,

Deinde hoc loco libet apponere, quum seiunctae a re proposita non sunt, alias icunculas, apud ipsos Germanos, aeque ac *alrunicae*, satis quondam cognitas. Habebant enim maiores nostri, Romanorum instar, penates ac lares, quos hodienum ex agris effodiunt haud raro. *Bibliothec. Lubec. vol. I. comment. I. de simulacris aureis, in Boringholmia effossis*, exponitur. Cuius relationis, a IACOBO A MELLE cum cura ac gratia elaboratae, potiora momenta summatim enucleare, par erit:

In Boringholmia, maris Balthici insula, saepe id accidit casu, vt, dum aratur & occatur, simulacra aurea agris subinde eruantur. Materia est purum aurum. Pondus admodum exile est. E tenui enim constant lamina, atque maximae tales imagines altitudine sua pedis Romanae vnciam, siue duodecimam partem vix excedunt. Inde singulae, si

ponderentur, non nisi xx. grana vel ſcrupulum vnum libratione aequant. Figura plerumque eſt quadrata. Animaduertuntur autem in iis vel rudes homuncionum effigies, vel manifeſtae ſiue hominum ſiue feminarum imagines. Has igitur vir ille doctus, a MELLE, recte interpretatus eſt, quod fuerint Boringiorum veterum, chriſtianis ſacris nondum imbutorum, *idola domeſtica*. Quod autem ea multoties in aruis iſtius inſulae reperiantur, id ſingulari gentis iſtius zelo tribuendum eſt. Nam poſtquam ante octo, & quod excurrit, ſecula Chriſto nomen dederant Boringii; ſua ſimulacra, vtpote viliſſimi pretii, ſepulto cultu idololatrico, ſepeliuerunt, & abiecerunt vltro iſta cultus ſui antiquati ἀναθήματα, ſeu potius ἀναθέματα.

Ex hac commemoratione per ſe patet, ſimulacra iſta Boringica poſſe cum *alraunicis* appoſite comparari.

Quan-

Quanquam enim quodammodo inter se discrepant; maximam tamen partem non diuersa sunt. Differentia sola conspicitur quoad materiam; quia *alrunicae* non ex auro fundebantur, velut illae imagines. Similes autem inuicem sibi sunt qua formam, qua paruitatem, & qua pretium. Nam & Boringicæ effigies & alrunicae, quia tanquam lares familiares vtraeque suspiciebantur, summo in pretio sitae erant.

OBSERVATIO IV.
ITIDEM HISTORICA, DE FEMINIS SACRIS, APVD QVASNAM GENTES INCLARVERINT?

I*urieus* laudato paullo supra volumine cogitat, & probare quam maxime satagit, apud Graecos solos innotuisse feminas sacras. Aliquo iure niti potest. Nam de *sacerdotio* stri-

ctim loquitur. Adeoque euincere testimoniis facile potuit, sacerdotium a nulla gente, praeterquam a Graecis, feminis demandatum esse. At vero etiam in hoc falli bonum Iurieum, nunc vidi, posteaquam TVA, vir reuerende, commentatione excitatus fui ad examinandam historiam feminarum sacrarum. Namque in antiquitatum monumentis creberrime legimus, Germanorum quoque feminas sacras sacerdotio pleno functas vtique esse. Sed, ne iusto longius a fine huius epistolae absim, nonnullas tantum annotationes de feminis diuis generatim adspergam.

I. Principio in Israële sacerdotium quidem feminis nusquam concredebatur. Recte *Iuriens*: *la loi de Moise ne donnoit aucune part aux femmes dans le service du temple pag. 769.* Verumtamen feminas quoque sacras fuisse in Israële, neminem praeterit.

terit. Quis enim non nouit, in scriptura diuina nominari *IV. mulieres* & *IV. virgines vates?* Hae sunt quatuor illae filiae Philippi, euangelistae *Act.* *XXI, 9.* Illae erant *Miria, Debora, Hulda* atq; *Anna*, quae singulae vates expresse appellantur *Exod. XIV, 20. Iudic. IV, 4. 2 Reg. XXII, 14. Luc. II, 36.* Plane autem absit, vt istas veri numinis prophetissas inter *alrunas* translocemus: modo illas nominauimus, ea mente vt & apud sanctiorem gentem feminas in choro personarum sacrarum locum obtinuisse, liquidum esset. Mirum vero, etiam feminarum *alrunarum* sorores in Israële quondam notas fuisse. Prona id coniectura fluit e *Ies. LVII,* 4. Vates diuinus suos auditores, Israëlitas, compellat *filios*, hoc est, *asseclas praestigiatricum:* Ex quo, in Iudaea tunc fatidicas id genus mulieres inclaruisse, non praeter rem statuo. Neque adeo incredibile hoc est. Quem enim fugit, iamiam ae-

tate Saulis, regis, Endoream fuiſſe Pythoniſſam maxime celebrem? profecto *1 Sam. XXVIII.* legimus hiſtoriam, cum *alrunica* fraudulentia plane parallelam. Nam mulier iſta Endorea, quam Saul conſulebat, diſerte vocatur בעלת־אוב, *domina ſpiritus fatidici*, hoc eſt, habens, vt de ſe gloriabatur, ſpiritum fatidicum, ſeu eiusmodi quid, quo diuinabat. Idcirco Saul ait: diuina mihi באוב *per Ob.* Nonne haec mulier eiusdem notae erat, ac *alrunae* noſtrae?

II. Deinde feminae ſacrae in hiſtoria Romae antiquae aeque inueniuntur. Satis innoteſcebant *virgines veſtales.* Concedo quidem *Jurieo*, eas non ſacrificia obtuliſſe; adeoque proprie ſacerdotes appellari non poſſe. Appellabantur tamen ab ipſis Romanis ſacerdotes. SAVBERTVS de *ſacrificiis cap. VIII.* formulam veterem transſcripſit, qua virgines iſtae a pontifice maximo in atrium

atrium Vestae introducebantur. Ita enim eas alloquebatur pontifex: *sacerdotem Vestalem*, scilicet te inauguror; *quae sacra faciat, quae Jouis siet; sacerdotem Vestalem facere te* volo, *pro poplo Romano Quiritibusque vti*, scilicet sacris; *ita te amata capio. Capio* erat verbum, huic solemnitati peculiare. Alias Romanorum feminas sanctas postmodum salutabimus.

III. De Graiorum feminis sacris quiuis loqui non nescit. Feminae enim sacerdotio fungebantur in sacris *Iunonis*, *Rheae*, *Cereris*, *Proserpinae*, *Mineruae*, *Dianae*, *Veneris*, *Apollinis* atque *Bacchi*. Generali nomine audiebant vel ἱέραι vel ἀρχιέραι. Sigillatim aliae denominabantur

α. μέλισσαι, sic appellatae a *Melissa*, prima Cereris apud Cretenses sacerdote, eaque maxima.

β. θυτάδες, seu, vt alias legitur θυιάδες, a θυσία, *sacrificium*, adeoque erant *sacrificae*.

γ. κερνοφοροι, h. e. *ferentes pocula sacra*, quae κερνοι nominabantur.

δ. υπεκκαυστριαι, *holocausta flammis tradentes*, ab υπεκκαιω, *succendo*, ita dictae.

ε. προφητιδες, *vates*.

ζ. θυαδες, *sacrificia mactantes*.

η. μιμαλονες, siue μιμαλλονες, *imitatrices*, videlicet Cereris, Mineruae aut alius diuae matris. Sicuti hodienum in ecclesia Romana sunt feminae sacrae b. virginis, diu. Brigittae κ. τ. λ. id est, b. virginis, Brigittae aut aliarum sanctarum personarum vitas *imitantes*: ita feminae istae Graecae se nominabant μιμαλονες, v. g. της Αρτεμιδος, imitatrices Dianae, aut τȣ Πυθιȣ, imitatrices Apollinis.

θ. βακχαι, *furore percitae*; inde venit βακχειος, furore Bachico afflatus. Nam feminae βακχαι, si diuinabant, furore a Baccho immisso agitatae dicebantur. Quemadmodum

modum igitur Graecia multifarias exhibet feminas sacras; ita Germania vetus varias etiam coluit sanctiores matronas. Mentio enim saepe fit *Druidarum* penes Gallos. Celebres erant *alrunae* apud Germanos, Danos &c. Occurrunt τικτοσαγοι apud PTOLOMAEVM; quod genus sacerdotum MYLIVS de *lingua Belg. c. XXI.* bene detexit. *Tectosages*, inquit, *quis dubitet*, *quin dicantur*, *quasi* Dectesagers *vel* Decteseggers, *i. e. arcanorum & tectarum rerum indicatores?* vid. SAVBERTVS de *sacrific. p. 168.* quid si τικτοσαγας explicarem *tecte*, *obscure respondentes*, hoc est, *murmurando* oracula reddentes? Vtraque explicatio conuenit istis *tecte-sagis*. Memorabiles etiam sunt *Bardi*. *) Quorum omnium sacer-

*) Equidem non me fugit, quosdam scriptores nomen *Bardorum* deduxisse, a *barba*, *Germ. Bart;*

ſacerdotum in numero itidem mulieres fuiſſe, non abs re arbitror. Nam, ſi in vlla alia gente, potiſſimum apud Germanos aniculae videri volebant ſanctae, fati-

Bart; quia Bardi, Graecorum philoſophorum ad exemplum, *barbam promiſſam* geſtare ſoliti fuerint. Sed tale hujus nominis ἔτυμον merito explodunt prudentiores. Quodſi *Bardi* a *barba* ſuum nacti eſſent honoris titulum; imberbes mulieres eis admodum inepte adnumeraſſem. Sed res eſt in vado. Diuerſimode vocabulum *Bardus* indagant alii. Namque nonnulli id deriuant a *baritu* ſeu *barditu*, vnde venerit *ein Wort*. *Baritum* autem fuiſſe carminum genus, quo Bardi in acie accendebant ſuorum militum animos notum eſt. *Tacitus: ſunt illis carmina, quorum relatu, quem* Barditum *vocant, accendunt animos.* Veroſimilis videtur explicatio haec. Atvero ego quidem *barditum* a *Bardis*, non vero hos ab illo claſſico nomen tuliſſe, accuratius arbitror. Alii deriuant a voce *bar*, quod noſtra aetate pronunciatur *Werth*, vnde varia vocabula ſurrexerunt, v. g. *ehrbar*. Proinde *Bardos* ita appellatos fuiſſe perhibent, vtpote *honore dignos*. Inter omnes haec conjectura ſolida videtur. Atuero SAVBERTVS me edocuit, verbum apud Germanos notuiſſe *bahren*, h. e. *ferre*, idquod in compoſitis etiamnum vſitatum

fatidicae, praeſtigioſae; eaque propter cultui ſacro ſeſe vbiuis immiſcebant.

Sed, vt ad Graios rurſus reuertamur, apud eos praeter dictas modo feminas ſacerdotes, alias etiam mulieres

tum eſt, v. g. *fruchtbar*, *laſtbar*, *nuzbar*. Atque hoc verbum conſonat cum Graecorum φερω. Iam vero notum eſt, *Bardos* tuliſſe *tiaras* ſingulari forma, vt inde dignoſcentur a plebe. De eiusmodi pileis nominabantur *pileati*. *Jornandes* de reb. Get. *Diceneus* Gothis *fecit ſacerdotes*, *nomen illis* Pileatorum *tradens quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant*. At verò vox *pileus* inter Germanos non audiebatur, & tamen Jornandes ait, quod *pileati* audiuerint Bardi. Ergo non aliter poſſum ſubſumere, quam quod *pileus* eiusmodi a Germanis appellatus quondam ſit *bard*, quia tiarae in capite feruntur. Adeoque Jornandes mihi videtur ſignificare voluiſſe, nomen, non pileatorum, ſed *Bardorum* illis ſacerdotibus Germanis traditum eſſe, quia *pileos*, h. e. Germanorum obſoleta lingua *bardos* ferebant. Haec mihi planiſſime videntur. Nimirum pilei certae cuiusdam formae vocabantur *barde*, a *bar*, ferre. Quum igitur ſacerdotes ſpeciatim illis diſcernerentur, nomen inde reportabant Bardi. Haec in parentheſi.

fieres praesagientes passim referunt τα λειψανα Graeciae antiquae. Reminiscamur modo exemplum, quod *Actor. XVI, 16.* memoriae proditum est. Diuinus enim scriptor memorat, Philippis ancillulam fuisse celebrem, praeditam spiritu fatidico, cuius ope ea dicitur μαντευομενη, *augurans.* Atque plures eius furfuris ὁι και ἁι μαντεις consignatae sunt Graecorum annalibus.

Parum aberat, quin obliti essemus *Sibyllas*, multo celeberrimas Graeciae atque Latii feminas sacras. Dudum pro & contra historiam de Sibyllinis oraculis certarunt viri docti. Optime in ea re, quae fidei salutaris articulos non concernit, iudicaturum me arbitror, si sequentia affirmauero:

α. *Sibyllas, seu feminas fatidicas, inter veterrimos Graios & Quirites fuisse, nemo inficiari potest, quippe fides monumentorum historiae pro eis militat.* Adeoque ridiculum

est, si qui primos Christi legatos accusarint, quod Sibyllina oracula cuderint ad conuincendos disputando ethnicos. Pridem ante natum sospitatorem nostrum Graecia & Latium isthaec oracula suis versabat manibus. Neque minus arbitrari incongruum est, doctos christianae religionis pugiles, vt oracula stabilirent diuina, multa istis carminibus Sibyllinis addidisse, pia improbitate inductos. Huiuscemodi fallaciae laruam facile detraxisset veritas. Nam qui potuissent christiani ingerere dicta in ethnicorum biblia, quae suis in bibliothecis sancte conseruabant gentiles ipsi? Qui potuissent effata, quae nuspiam legebant ethnici suo in Sibyllino codice, citare sine rubore?

8. *Sibyllinos libros fuisse propheticos, extra dubitationis quoque aleam positum*

situm est. Adeoque numero feminarum fatidicarum istas mulieres aut virgines, quaequae fuerint, adscripsi non immerito.

v. Veruntamen, temporis interuallo eadem carmina etiam atque etiam & mutilata & interpolata esse, lubenter profitentur omnes, antiquitatum gnari. Qua de causa, qui a genuinis Sibyllarum gnomis spurias discernere, sibi sumeret; eum perspicaciorem oporteret esse lynceo. In aprico est, paucos Sibyllarum superesse versus, qui naufragium euaserunt.

Sibyllarum studiosos, qui plura scire aueant, docebit HENR. LUDOLPH. BENTHEMII *Vorstellung und Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit und Göttlichkeit christlicher Religion, Hamburg.* in vulgus edit. MDCCXXVII. vbi in *praef. partis II.* plura de hac historia apponuntur cum sale. Nec incognita sunt

scripta,

ſcripta, quae reu. NEHRINGIVS Halae, Anno MDCCXIX. & ſubſequenti, de eadem re contexuit.

IV. Venio ad feminas ſacerdotes, quae olim quidem in celebritate verſatae ſunt, noſtra autem memoria noteſcunt vix nomine, ac ne vix quidem. SAVBERTVS libri citati capite IX. eas mihi notificauit. Nimirum apud *Gallos Aſiaticos* praeluſtres erant feminae ſacerdotes, *Cenae*, appellitatae. Haec ſunt SAVBERTI verba: *Camma, uxor* SINATI, *Gallorum Aſiaticorum tetrarchae, erat apud Gallos ſacerdos Dianae.* Ab iſto *Sinato* nomen *Cenenſium* feminarum veniebat, de quibus *Pompon. Mela* clarius tradit: *Sena in Britannico mari Oſiſmicis aduerſa littoribus, Gallici numinis oraculo inſignis eſt; cuius antiſtites, perpetua virginitate ſanctae, numero nouem fuere, Gallis Cenae vocatae.* Plura de

D his

his matronis *Cenis* legere, non memini.

V. Tandem in patriam reuertor; ac, ne rursus finem obliuiscar epistolae meae, addita vna saltem annotatione, vale TIBI dicam. Tametsi ex hac obseruatione quarta satis patescit, apud gentes alias inclaruisse etiam feminas sanctas; tuto tamen affirmare licet, *quod, si Graeciam exceperis, in nulla republica eo auctoritatis gradu fuerint feminae fatidicae, quem ascenderant inter Germanos.* Auctoritas matronarum sanctarum penes Germanos & Gallos spectatissima fuit. Namque

A. *Tanquam ICtae erant nonnullis in prouinciis.* Teutonum enim ducibus a consiliis erant, consilia publica & responsa exhibentes. Id quod probatae fidei testimoniis con-

confirmare possumus. SCHEDIVS de *diis Germanis, Syngram. III. cap. IX.* edition. Elzeuirian. pag. 488. sequ. id enotauit e TACITO, quippe qui memorat: *inesse sanctum quid & prouidum putant Germani foeminis: nec aut* consilia *earum aspernantur, aut* responsa *negligunt.*

B. *Quid? quod apud Gallos iudiciis publicis praesidebant sacrae mulieres:* vt celeberrimus quondam historicus CHRISTOPHORVS HENDREICH in eleganti libro, quem appellauit *Carthaginem*, siue *Carthaginensium rempublicam*, Francofurt. ad Oderam MDCLXIV. pag. 306. testatum fecit. Recenset ibi foedus Hannibalis, cum Gallis initum hoc pacto: *si quis Gallorum iniuria se à Carthaginensium aliquo affectum quereretur, eius rei Carthaginensium magistratus, aut imperatores, qui in Hispania fue-*

rint, iudices esse debere. Sin Carthaginensium quispiam ab vllo Gallorum iniusti quippiam passus esset, Gallicae mulieres *de ea re* IVDICIVM FACERENT. Atque ad hoc foedus, de quo in HENDREICHIO relationem istam cum voluptate reperii, spectare mihi videntur verba POLYAENI, quae ex eius *Stratag.* transcripsit SCHEDIVS loc. cit. *Syntagm. II. cap. XLIII. in foederibus,* refert POLYAENVS, *cum Annibale factis continetur, ne Celtae Carthaginensibus exprobrent, Carthaginensium hipparchos atque duces esse iudices: neque Celtis Carthaginenses obiiciant,* CELTARVM MVLIERES IVDICARE. Datam vero occasionem, qua hae mulieres tribunal conscendebant, POLYAENVS paullo ante recenset his verbis: *Celtae intestina seditione laborabant. Qui cum iam ad bellum arma sumsissent, vxores*

res eorum se inter medias acies opponentes, crimina deprecabantur: & transegerunt, ut viri in gratiam redeuntes, litem deponerent. Et vicatim oppidatimque *in posterum, si quando Celtae consilium ineunt de bello, de pace, aut etiam aliis, quae communiter ad ipsos aut ad socios pertinent, singula de* MVLIERVM SENTENTIA *administrantur.* Ni fallor, in singulis vicis suis & oppidis eiusmodi scabinatum mulierum ordinasse Celtas, ex his verbis apparet.

C. *Arbitrio plane permissum erat istarum vatidicarum, ut de bellis vel conflandis vel delendis constituerent solae.* Id ex allegato POLYAENO audiuimus, quod nimirum Celtae siue de bello suscipiendo, siue de pace concilianda, mulierum consiliis obtemperarint. Inde

D. *Diebus belli decretoriis eaedem aniculae nunquam non consulebantur, num proelium committendum esset, an procrastinandum?* Recte SCHEDIVS *cap. XLIII. Germanis in vsu erat, non ante acies committere, quam per matresfamilias, quas plurimum adducebant, an decertandum esset, sortibus & vaticinio praedictum fuerat.* Nam notissima sunt verba IVL. CAESARIS *l. I. bell. Gall. cap. L. §. 4. cum ex captiuis quaereret Caesar, quamobrem Ariouistus proelio non decertaret, hanc reperiebat caussam; quod apud Germanos ea consuetudo esset, vt matresfamilias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, vtrum proelium committi ex vsu esset, nec ne; eas ita dicere: non esse fas Germanos superare, si ante nouam lunam proelio contendissent.* Multifariis vtebantur methodis istae mulieres alrunicae, fortunam istiusmodi casibus explorandi. Interdum iugu-

labant

labant captiuum quendam; &, quando ſanguis, abſciſſo gutture, ſiue guttatim defluebat, ſiue riuuli inſtar proſiliebat, certa elegerant indicia iudicandi, num propitio Marte pugnaturi eſſent Germani, nec ne? Locus STRABONIS, quem allegat SCHEDIVS loc. cit., & ex quo, quae enarraui, ſubſumſi, ita in Graecis ſe habet: τοις αιχμαλωτοις δια του ςρατοπεδου συνηντων ξιφηρεις. --- Ελαιμοτομει εκαςον. -- Εκ δε του προχεομενου αιματος -- μαντειαν τινα εποιουντο. h. e. *Mulieres, ſiue furiae iſtae, ſtrictis gladiis captiuos petebant. Tunc vna earum guttur incidebat cuiuis. Quo igitur modo proſiliebat ſanguis, diuinabant.* Aliae autem ſuffragia ferebant, inſpectis extis. Pergit STRABO: αλλαι διασχισασαι, εσπλαγχνευον αναφθεγγομεναι νικην τοις οικειοις, *aliae, examinatis extis, victoriam ſuis vaticinabantur.* Nonnunquam praeſagiebant hac ratione. Elige-

 bant

bant captiuum militem, quem oportebat manum conſerere cum quodam Germano. Quicunque igitur ſuperior diſcedebat, eius parti adiudicabant futuri certaminis palmam. Sic tradit TACITUS de *mor. Germ. c. X. eſt & alia obſeruatio auſpiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum eſt, captiuum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis, committunt, victoria huius; vel illius, pro praeiudicio accipitur.* Hac, aut ſimili forte methodo proelii euentum experiri volebat Abnerus *2 Sam. II, 14.* nam mittit ad Ioabum, vt ex vtraque parte proeliantium milites, numero pares, ſecum confligerent. Haud dubie Abner & Ioabus ſcrutari volebant, quis ipſorum victoriam deportaturus ſit? Porro e fluminum quoque

cürſu,

cursu, fluctibus & sonitu futura coniiciebant. Sed quis potest tot aniles ineptias enumerare sine satietate? Satis sit.

E. *Tandem in constituendis rebus sacris summa pollebant auctoritate.* Αυται γυναικες τους ανδρας προσκαλουνται προς τας θεραπειας των θεων, και εορτας, και ποτνιασμους. *Istae mulieres viros compellunt ad cultus deorum, ad stata sacra, & ad quaeuis officia religionis.* STRABO loco annotato.

Ex his quinque momentis satis apparere, arbitror, mulieres fatidicas summam ad dignitatem euectas olim esse a Teutonibus. Trigam reperii earum alrunarum, quae gloria ante omnes iuerunt alias:

A. *Aurinia* illa, de qua TACITO multus sermo est. SCHEDIVS *Syngram. III. cap. IX.* corrigit quidem TACITUM,

 TVM,

TVM, & iubet legi, non *Auriniam* sed *Aliraniam*. Sed nihil opus est correctore. Nam *Aurinia* & *Alironia* idem est, ac promiscue legitur in vetustis scriptoribus, vt pronunciationis discrepantia plerumque accidit in obsoletis vocurumque accidit in obsoletis vocabulis. Auriniam vero, siue Alironiam, non ceu nomen proprium a TACITO recitari, sed muneris & honoris vocabulum semper fuisse, credo. De Aurinia igitur quadam, siue femina sacra, sermo est, cuius nomen proprium e memoria elapsum est TACITO. Atque haec mulier, quae magnam famam & existimationem eo sibi tempore aucupata erat, in Hercynia sylua aetatem degebat. Inde RICHARD. BARTHOLIN. *l. IX. austriad.* canit:

Euolat Hercynio ad superos Aurinia luco.

Ergo alrunae istius habitatio fuit

ea,

ea, qualem Debora elegerat. *Iudit. IV, 5. Debora, mulier vates, habitabat in palmeto.*

B. Altera alruna, cuius nomen antiquitatum monumentis consignatum est, salutabatur *Velleda*, virgo. Haec, inter Bructeros, populum quendam Germanicum, viuebat, & quidem in turri montana. Neque ab vlla anima peregrina cernebatur. Sed habebat famulum, qui, tanquam internuncius suae dominae oracula expediebat. TACITVS *hist. l. IV. c. 61. coram adire, alloquique Velledam negatum; arcebantur adspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre, dilectus e propinquis, consulta responsaque, vt internuncius numinis portabat.*

C. Tertia, quae maxime celebrata alruna est, appellatur *Ganna*, virgo, quae

quae Masyae Marcomannorum regi a consiliis fuit, & a latere. *Dion. l. 67.* Μασυος, ὁ Μαρκομανων βασιλευς, και Γαννα παρθενος, (ην δε μετα την Βεληδαν, εν Κελτικῃ θειαζουσα) ηλθον προς τον Δομιτιανον. h. e. *Masyas, Marcomannorum rex, & Ganna virgo, (quae scilicet post Velledam apud Celtas diuinabat) venerunt ad Domitianum.*

Ex his omnibus videmus liquido, quae paullo supra dixi, quod a nulla gente mulieres sacrae maiori reuerentia mactae fuerint, quam apud maiores nostros. Operae pretium erit, videre paucis, quomodo inter se conueniant, & quantum inter se distent mulieres nostrates & peregrinae.

α. Feminae Germanorum sanctae *discrepabant* ab extraneis. Nam illae sacerdotio pleno fungebantur, sic vt principes maiorem dignitatem sitire non possint,

quam

quam nonnullo tempore obtinuerunt *alrunae vetulae*. Feminae sacrae autem ceterarum gentium, vt imperarent, vt stata sacra, sacerdotibus propria peragerent, nusquam sibi sumserunt. Neque tanta prosperitas eas vnquam consecuta est, vt cum *alrunis* nostris decernere possint de palma.

a. Neque tamen eo secius *conueniebant* aliquatenus matronae sacrae Teutonum cum peregrinis. Videlicet, partim quod sacra communia praestiterint, v. g. orando preces hymnosque, & custodiendo supellectilia deorum in fanis, sicubi talia erant; partim quod futura declararint.

Sic breuibus habes omnium feminarum sacrarum parilitatem, & praeeminentiam *alrunarum*.

Accipe

Accipe igitur, vir reuerende atque doctissime, hoc litterarium munus, mole paruum, bonitate mediocre, neque tamen nullius pretii. *) Iucundum in se sane est antiquitatis studium; sed paullo iucundius, si quos fructus inde demetamus, ad augendam, ad ornandam scientiam atque prudentiam; multo vero iucundissimum haud dubie erit, si illud lucri faciamus, ad excitandam, ad iuuandam meditationem verbi diuini; quippe quo nihil iucundius, & quod, nobis potissimum, non potest non sua delectatione ob oculos semper versari. Igitur maximam voluptatem in eo pono, si, quae modo cunque studiorum meorum circulos incurrant, subinde tento, annon

*) Ita infit IO. CASELIVS, elegantissimus ille ἐπιστολογράφος, in epist., quae extat in eius *volum. epist. edit. Helmstad. MDCXIX. Part. I. num. LVII.*

annon inde expiſcari quid poſſim, ad illuſtrandas verbi diuini profunditates? Hac ratione enim liber ille diuinus in dies nobis fit iucundior, admirabilior, &, quod maximum eſt, liquidior; ſi modo diuina gratia inſimul nos adiuuet. Atque non, niſi eam ob cauſam, tales obſeruationes congeſſi in manipulum hunc; quem ſerena mente excipies. Satius explicueras materiam de imagunculis iſtis, maiorum noſtrorum idolis, quam vt vel ſyllabam potuiſſem adiicere, dignam, quae TVIS annotatis adiungeretur. Igitur confeſtim apud animum cogitabam, annon elegantem TVAM commentationem mihi quaeſtuoſam reddere poſſem. Nam ethniciſmus etiam, veluti Gibeonitae, aquam vehentes in aram Iehouae, adminiſtrare nobis non nequit in ſanctuario noſtro.

Ea

Ea itaque mente naſcebantur annotationes meae, quas in ſe quidem TIBI de meliori commendare non poſſem; quibus tamen has ob rationes nonnihil pretii ſtatues: quod a TVA ipſa eruditione ac nauitate potiſſimum elicitae ſint, & quod praeſertim diuinis oraculis conſecratae ſint. Munuſcula etiam, & oboli in templo accepti ſunt. Accipe ergo haec in bonam partem; &, quod facis, me ama. Vale, dabam Saarmundae in Marchia media, prope a termino anni chriſtiani MDCCXXXVIII.





DISSERTATIO
DE
MORE ADMODVM ANTIQVO ET PERVAGATO,
IMAGINIBVS EXORNANDI PARIETES, ATRIA, BIBLIOTHECAS, EXEDRAS, κ. τ. λ.

ARGVMENTVM.

§. I. *Imagines omni ferme memoria fuere ornamenta aedium.*

§. II. *An apud Iudaeos etiam in pretio fuerint imagines domesticae?*

§. III. *Venerandi quidam ecclesiae patres bilem effundebant in imagines.*

§. IV. *Cuiusmodi imagines pependerint in parietibus?*

§. V. *Loca, quibus imagines elocabantur, notantur.*

§. VI. *Cui bono imagines penderent in parietibus?*

§. I.

Imagines omni ferme memoria fuere ornamenta aedium.

De vetuſtiſſimo & peruagatiſſimo more, imaginibus veſtiendi parietes, tradunt cum ſexcenti hiſtoricorum, tum vel ipſa monumenta diuina. Scriptura ſacra fores pandat. In ea, imagines quondam parietibus affixas fuiſſe apud Chaldaeos, immo apud populum ſanctiorem, exſerte memoratur. De vtrisque enim, & Chaldaeis & Iſraëlitis, id legimus *Ezechielis cap. XXIII, 14.* Nam indolet deus, Iſraëlitas, quum vidiſſent imagines ſacras, minio pictas, in parietibus penes Chaldaeos, hoc gentium more actutum ſeſe polluiſſe. Et, quod Iſraëlitae aedem ipſam Iehouae huiusmodi ſimulacris impiis aeque con-

contabularint more gentilium, fatetur idem *Ezechiel cap. VIII, 10.* Refert enim, in conclaui quodam sacratiſſimi ipſius templi ſe vidiſſe idola, in pariete picta. Ad quae verba notat GROTIVS, pingendi tales formas in parietibus, morem fuiſſe quarundam gentium, teſte Philaſtrio. Ab annalibus ſanctis, ad gentium monumenta nunc traiiciamus, enotantes duo hac de re teſtimonia. Primo loquatur TVLLIVS. Is orationem de lege agraria ita infit: *eſt hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutoque maiorum, vt ii, qui beneficio veſtro IMAGINES FAMILIAE ſuae conſecuti ſunt, &c.* ſcilicet, vt GOTHOFREDVS, cuius editionem operum Ciceronianorum ad latus habemus, in margine ad iſta verba obſeruat, Romani ſuis in atriis ſeruabant *imagines maiorum*, qui famam ac nomen adepti erant. Tales appellabantur *imagines familiae*, quae in antiquitatibus Ro-

manis passim occurrunt. Ad hanc consuetudinem nutat CICERO. Accedat alter testis, LIVIVS, cuius *lib. XXXVIII. c. 43.* legati cuiusdam gentis in corona Quiritum conqueruntur, *templa in sua vrbe spoliata esse ornamentis; simulacra deûm, deos demum ipsos conuulsos, ex sedibus suis ablatos esse, PARIETES POSTESQVE NVDATOS.* Ergone imagines elegantissima & pretiosissima existimabantur ornamenta, digna, quae coram spectatissimo Latii senatu deflerent isti legati? Plura testimonia de imaginibus, in aedibus asseruatis, dabimus paullo infra.

§. II.

An apud Iudaeos etiam in pretio fuerint imagines domesticae?

Exploratum igitur & certum est, apud gentes insigne parietum decus fuisse imagines prisca iam aetate.

tate. Verum enim vero, an Iudaeis quoque ita in more positum fuerit, quaeri posset? Namque supra citata Ezechielis verba confirmant saltem, quod Iudaei, raptu interdum infatui, imitati quondam sint Chaldaeorum mores. Exinde autem, Iudaeos pretium semper statuisse imaginibus, iisque sua condecorasse conclauia, non subinde consequitur. Dicam ergo, quae sentio ad ductum historiae sacrae. Antiquissimis temporibus aedes suas, conclauia, atria, imaginibus aeque exornasse Iudaeos, nullus temere inficias ibit. Nam, imagines quidem sacras exasciari, delineari, coli, nefas erat secundum corpus iuris diuini, vt illas cultu diuino ne prosequeretur plebecula, superstitione vtplurimum tincta. At alia tamen simulacra catalogo imaginum prohibitarum non adscripta erant. Subsequente tamen tempore omnes picturas & imagines de-

 testati

teſtati ſunt Iudaei. Idquod cel. CHRIST. LVDOVIC. SCHLICHTERVS in ecloga hiſtorica de *Luca pictore*, *Halae* M DCC XXXIV. edita, *c. I.* §. *IV.* commonſtrauit. Ita enim TACITVS *hiſt. lib. V. cap. V.* de Iudaeis annotat: *nulla ſimulacra vrbibus ſuis, neque templis ſunt.* Quinimo pictoribus ne domicilium quidem in terra Iſraëlitica conceſſum fuiſſe, ORIGENES *lib. IV. contra* CELSVM aſſeuerat. *In ciuitatibus Iudaeorum*, ait, *nullus pictor admittebatur, nullus ſtatuarius; legibus totum hoc genus coërcentibus, ne qua occaſio praeberetur hominibus craſſis, ne animi eorum a dei cultu auocarentur ad res terrenas per huiusmodi illecebras.* Lepida eſt hiſtoria, quae cel. idem SCHLICHTERVS l. c. commemorat ex מסכת שביעית *cap. 4.* Quod par quoddam fratrum, Lolinus nomine & Papus, Iudeai, quum illis aqua offerretur in vaſe vitreo picto, martyrium prius ſubierint, quam e va-

iſ

isto picto biberent. Ex quo Vatinianum Iudaeorum in imagines odium satis patescit.

§. III.

Venerandi quidam ecclesiae patres primis seculis bilem effundebant in imagines.

Credo, quod a Iudaeis capitalem illam in imagines inimicitiam hauserint patres nonnulli ecclesiae priscae. Quidam enim illorum, vt TERTVLLIANVS, pingendi artem, ob nefandum eius abusum, ceu illicitam prorsus damnarunt. vid. IO. DALLAEVS *de imagin. lib. I. cap. 6. pag. 81.* SCHLICHTERVS *l. c. §. IV.* aliquot patrum testimonia ex Dallaeo & Reiskio repetiit. Verbi gratia, *Clemens Alexandrinus strom. l. V.* ait: *Moses multis ante seculis aperte legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fictam, vel pictam imaginem, simulacrumue facere,*

vt ſenſilia minime attenderemus, ſed ad ea tranſiremus, quae intelligentia percipiuntur. Et in *protreptico: nobis eſt aperte vetitum*, inquit, *artem fallacem exercere: non facies enim, inquit propheta, cuiusuis rei ſimilitudinem.* Profecto diuinare nequeo, quare tanta amarulentia in picturas pleni iſti ſeniores eſſent? TERTVLLIANVS tantopere exacerbeſcebat in miſeros pictores, vt, *diabolum artifices ſtatuarum, imaginum, & omnis generis ſimulacrorum ſeculo intuliſſe*, inconſiderate ſcriberet. Vide, quam late extra aequitatis oleas vagari queant viri, ceteroquin inculpandi, niſi caute & lente dicam ſcribant! quis ob abuſum imaginum, omnem extemplo vſum damnabit? Deus ſeſe ipſe repraeſentauit & delineauit diuerſimode. Iam ſe monſtrabat Iacobo in ſcala. Iam eum videbat Michaeas, ſedentem in ſolio, *2 Paralip. XVIII, 18.* Iam Iehouam animaduertebat Amos, ſtan-

ſtantem ſuper ara, *cap. IX, 1.* Si quis igitur has dei apparitiones delinearet, num piaculum foret? Bene b. DANNHAVERO, quod non aetate Tertulliani vixerit! Concinnabat enim Dannhauerus elegantem orationem de *ſpiritus ſancti pictura.* Profecto illi inter haereticos primum locum adiudicaſſet Tertullianus. Sed caue tamen, iſtos pios patres ſusque deque habeas. Succenſebant enim pictoribus: quia primo adhuc & maximo zelo pro conſeruanda religionis puritate agitabantur. Inde ne minimam quidem aberrandi occaſionem praebere, apud animum ſtatuebant. Quod quum veriſimillimum ſit, excuſandi magis ſunt patres, quam petulanter ſub limam vocandi; nec omnibus ceteris iconomachis ſubinde aequiparandi. Nam non ſemper idem eſt, quod duo faciunt & credunt. Atqui ad exemplum iſtorum virorum omnes eliminare

effigies, abſonum foret. Quis malam notam inuret artificibus illis, qui tempore Moſis in tabernaculo ſuam impendebant artem cum gratia? Nec ego mihi perſuadere poſſum, patres iſtos in omnes imagines generatim fulminaſſe. Dolendum modo, quod non apertius ſuam limitarint ſententiam. Sed coniecturam meam iam ſatis declaraui.

§. IV.

Cuiusmodi imagines pependerint in parietibus?

Multifariae parietes exornant imagines. Agedum, quibusdam ſpeciebus antiquitatis lucernam praeferamus.

I. *Imagines deorum* primo conſpicimus in aedibus veterum. Habebant etenim patresfamilias ſua lararia, ſeu ſacellas domeſticas, in quibus αγαλματα, ξοανα, ειδη θεων, εικασματα θεων, εικονες, βρετη, hoc eſt, vno verbo, *idola*

ſua

ſua erigebant, coram quibus ſe proſternerent. Dii autem iſti familiares, vel arte ſtatuaria facti, vel in tabulis depicti erant. Id vero memorabile eſt, cur praeſertim *minium* pro diuino & ſanctiſſimo colore, diisque proprio habitum fuerit a plerisque gentibus? Chaldaei, vt e verbis Ezechielis ſupra accepimus, habebant imagines deorum *miniatas*, ſeu rubro colore illitas. *Pauſanias* de Bachi ſimulacris in *Corinth. c. II. p. 115.* ait: τα πρoσωπα αλοιφῇ σφισιν ερυθρα κεκοσμηται, *vultus illorum picti ſunt minio.* Apud VIRGILIVM Pan ille magnus rubente vultu apparet. *Eclog. X. v. 26.*

> *Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipſi*
> *Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.*

Quam igitur ob cauſam color miniaceus vnanimi pene conſenſu diis conſecratus fuerit, & quo conſilio deos pinxerint *rufos?* nondum, fa-

teor,

teor, mihi ſubolet. Nam ratio, quam in Fabri lexico reperio, ad palatum non eſt. Rubeum colorem eſſe proprium deorum, ibi ſtatuitur, *quia ſimilitudinem aetheris referat.* Perperam hoc dicitur; nam color candidus, caeruleus, griſeus, fuſcus, aetheris ſimilitudinem perinde refert. Probe vero notandum, quod de veterrimis temporibus ſermo mihi ſit. Nam poſt aliquanto, quum arti pingendi lux maior accenderetur, variis coloribus ad viuum depingebantur dii. Principio autem, conſtat, vſu fuiſſe *picturam* μονοχρωματον, hoc eſt, quando vno colore aliquid adumbratur. Diximus, quod dii miniati fuerint; attamen apud Germanos noſtros reperimus etiam deos albos, vt *Juttebocum*, deum, & *Belbocum*, de quibus NERRETER in *not. ad Roſſeum*, & CRAMERVS lib. I. *der Pommeriſchen Kirchen-Hiſtorie* tradiderunt.

II. *Ima-*

II. *Imagines principum, & heroum, & aliorum virorum praelustrium* aeque pendebant in parietibus. Atque obseruamus, quod, sicut pictores delineabant deos sub schemate hominum, ita magnos homines, in quibus fortuna, quid efficere possit, videbatur experta, induerent persona deorum. Sic Timotheum, Cononis imperatoris filium, qui imperio militari fauente Marte vsus fuerat, pingebant artifices Graeci ad instar fortunae, manu tenentis retia, quibus vrbes, ab ipso expugnatae, inclusae erant. Vid. LEONARDI COZZANDI de *magisterio antiquorum philosophorum pag. 339.* Huiuscemodi illustrium capitum imagines in pretio erant. Atticus, cuius vitam *Nepos* memorat, eiusmodi collectionem imaginum habuisse videtur in sua domo. Nepos enim dicit, Atticum singulis Romanorum celebrium imaginibus, quibus haud dubie sua conclauia conuesti-

uestiuerat, aliquot versus adscripsisse, quibus eorum facta declararentur. NEPOS in *vita Attici cap. XVIII.* Inde multis seculis post, quum ars scalptorum nigra, qua imagines nigro colore in chartis exprimuntur, detegeretur; exorta est consuetudo colligendi sapientum ac magnorum hominum effigies chartaceas. Tales collectiones non aliunde ortas esse arbitror, quam ex antiquissimo *illo* more, quo imagines hominum, qui sidera fuerant, conseruabantur in aedibus. Eiusmodi vero collectionibus nihil sane suauius, nihil *vtilius* est. Ne inique feras, lector, vt ad delectationem, breuem seriem pulcherrimarum istiusmodi collectionum hoc loco colligam. Scilicet dabo *catalogum nitidissimorum voluminum, quibus imagines virorum illustrium compacta sunt.*

a. *Icones Graecorum sapientum. Patau. apud* MATTH. BOLZETTAM *in fol.*

b. *Im-*

b. *Imperatorum Romanorum omnium, orientalium & occidentalium imagines, ex antiquis numismatibus delineatae, addita cuiusque vitae descriptione, ex thesauro* IAC. STRADAE. *Tiguri M D LIX.* Memorabile profecto opus, & navis historiae studiosis perquam cognitum! Vidi etiam epitomen huius magni voluminis sub titulo: *epitome thesauri antiquitatum, h. e. imperat. Roman. orient. & occidental. iconum ex musao* IAC. *de* STRADA *Lugdun. forma quarta.*

c. NICOLAI REVSNERI *icones virorum illustrium, Argent. M D XC.* His iconibus addita etiam sunt encomia.

d. FVLVII VRSINI *illustrium imagines, Antwerp. M DC VI.* Has imagines, ex antiquis marmoribus, numismatibus & gemmis expressas, IO. FABER, *Bambergensis*, medicus Romanus, commentario illustrauit.

e. IACOB. PHIL. TOMASINI, vel, qui sub hoc nomine latere voluit, IOANNIS

NIS RHODII *elogia virorum, litteris & sapientia illustrium, ad viuum expressis imaginibus exornata, Patau. M DC XXX. & M DC XLVII.*

f. *elogii d' huomini letterati, scritti da* LORENZO CRASSO, *Venet. M DC LXVI. tom. 2.* Quibus elogiis imagines doctorum virorum perinde adiunctae sunt.

g. THEOPHILI SPIZELII *academia IEsu Christi, in qua icones & descriptiones viginti duorum patrum reperiuntur Augustae Vindelic. M DC LXXI. 4.* Hoc volumen ob amoenum modo titulum annotaui. Inter patres, inibi depictos, primas tenet Ignatius, & agmen claudit S. Bernhardus.

h. *academie des sciences & des arts, contenant les vies & les eloges historiques des hommes illustres avec leurs portraits, tirez sur des originaux au naturel, par* ISAAC BVLLART, *à Amsterd. 1682. tom. 2. in fol.* In hoc libro illu-

illustrium politicorum, historicorum, iurisperitorum, rhetorum, theologorum, philosophorum, medicorum, poëtarum aliorumque effigies Bullartus exhibet.

i. DIOGENES LAERTIVS *de vitis, dogmatibus, & apophthegmatibus clarorum philosophorum, Amstelod. apud Wetstenium M DC XCVIII.* Splendida hac editione imagines perquam nitidae exhibentur.

k. *les hommes illustres, qui ont paru en France pendant ce siecle, par Mr. Perrault, a Paris. 1698. & 1700. tom. 2. in fol.*

l. PAVLI FREHERI *theatrum virorum, eruditione clarorum,* notissimum omnibus est.

m. GVST. GEORG. ZELTNERI *vitae & effigies theologorum Altorffin. a condita academia, Norimb. M DCC XXII.*

n. IACOBI VERHEYDENI *imagines & elogia praestantium aliquot theologorum, Hagae M DCC XXV. fol.*

En messem amoenissimarum id genus collectionum! Haec palmaria, arbitror, esse volumina, quibus effigies virorum celeberrimorum publico vsui expositae sunt. Neque tamen dubito, fore adhuc spicilegium, quo iste manipulus historiae litterariae adaugeri possit.

III. *Imagines maiorum* itidem conspiciebantur in parietibus. Atque non praeter rem arbitror, huiusce-modi simulacra omnium prima fuisse. Primi enim picturae studiosi, quem, quaeso, alium depingere magis amabant, quam suos patres, auos, & proauos? Atque hae primae artis pictoriae vmbrae erant haud dubie exemplaria, in quibus delineandis suam extollebant dexteritatem subsequentes pictores. Ergo imagines maiorum primum locum obtinere, arbitror, inter simulacra, quibus aedes suas illustrabant veteres. Haec coniectura nostra tam plana est, quam

quam quae verissima. Neque igitur eos inepte agere, existimo, qui statuunt, quod teraphimi Labanis *Gen. XXXI, 30.* fuerint imagines maiorum, quos deinceps Laban, ceu deos penates reuerebatur. *Iurieus* in *hist. crit.* diuinauit, istos theraphimos fuisse imagines *Noae* & *Semi*. *Noae* imaginem sanctae conseruasse Labanem, putat; quia is pater omnium mortalium erat, adeoque quiuis ex ejus posteris, qui imagines aestimabat, proaui sui vultum prae primis adamabat. *Semi* vero imaginem in aedibus Labanis in existimatione ideo fuisse, sentit; quoniam Semus erat patriarcha, hoc est, stirps familiae Labanicae. Hanc ingenii foecundi meditationem tam belle depingit *Iurieus* l. c. *pag.* 460., quam Galli assoleant. Nec talo caret haec coniectura.

IV. *Imagines sui, & tabulas, sua ipsorum praeclara facta repraesentantes*

 in

in aedibus quoque exponebant veteres. Quem enim fugit consuetudo principum, qui suas res, bene & praeclare gestas, pictorum penicillis committebant, vt temporum monumentis consignarentur? Multis exemplis nihil opus erit. Constat hoc inter omnes.

V. *Imagines morales seu symbolicae* in aedibus etiam asseruatae semper sunt cum cura & voluptate. Imagines eas indigito, quibus vel virtutes vel vitia, aut certis symbolis aut notabili quadam historia exponuntur. Aegyptios primos talium inuentores imaginum fuisse, nemo nescit. Hieroglyphicas eas appellitabant. Sed de iis specimina apud omnes gentes deteguntur. Inde MENESTRIER, Iesuita, librum exarauit, sub titulo: *la philosophie des images, composée d' un ample Recueil des Devises, & du Jugement de tous les Ouvrages, qui ont eté faits sur cette Matiere,*

tiere, Parisi A. 1682. Neque latet a-lius huius litterati viri liber, cuius in fronte titulus est: *Art des Emblemes, ou s' enseigne la Morale par les figures de la Fable, de l'histoire, & de la Nature, Paris 1684.* Sed Menetrierius vestigia legit IACOBI MASENII, eiusdem societatis Iesuitarum membri. Hic enim antehac concinnauerat *speculum imaginum veritatis occultae*; in quo speculo se repraesentant symbola, emblemata, hieroglyphica, & aenigmata antiquitatis.

Postremo loco huius paragraphi paucis monendum est, quomodo imagines suas facile discernendas & denominandas reddere studerent Apellis filii. Deorum simulacra facillima erant cognitu. Adiungebantur enim a pictore insignia, diis peculiaria. Pingebatur Iupiter cum sceptro, aquila & fulmine: Neptunus cum suo tridente: Apollo cum lyra: Diana cum ceruo: Bachus cum

hedera, & sic reliqui. At vero imagines aliae aliusmodi notis signabantur vel supra caput, vel in pectore, vel ad calcem: ita vt aut manifesta indicia, aut ipsa depictarum personarum nomina legerentur.

Sed ne longius, quam par est, exspatiemur; nos conuertamus

§. V.

Ad loca, quibus imagines elocabantur.

Volupe erat εἰκονοφίλοις, imagines ponere in *larariis*, in *conclauibus* honoratioribus; in *cubiculis*, in *atriis*, in *bibliothecis*, in *gymnasiis*, *in exedris* & aliis locis. Nostri ergo est, haec sigillatim probare.

I. *Lararia* facta erant imaginibus diuorum. Veteres, praesertim primates, duplex lararium suis in aedibus apparandum curabant: in altero, quod *maius lararium* dicebatur,

dii

dii praecellentissimi versabantur; in altero autem seu *minori lurario* deos inferiores, & heroës, & viros sapientia diuina illustres erigebant. Notabili exemplo haec testata facimus: Alexandro Seuero, imperatori illi, seculo p. Chr. n. tertio celebri, cuius si virtuti par data esset vitae meta, anteferendus foret nemo caesarum, pauci pares putandi. Hic imperator iuuenis sua temperantiâ, virtute ac pietate adeo nobilitatus est, vt dignus sit laudibus, quibus offeratur, summis. Duo tamen in eius vita lectu iniucunda sunt momenta; partim, quod non palam addixerit sacris christianis, licet magni facere videretur Christi nomen: partim, quod praemature vitam cum morte commutarit. Obiit enim, quum, qualis esset, vix appareret, nempo anno XXIX. suae aetatis. De principe hoc optimo inter alia memorant historici, fide digni,

quod in larario suo maiori habuerit effigies *Apollonii*, *Orphei*, *Abrahami* & *Christi*, coram quibus rem diuinam matutinis horis factitabat. Veinam Christum solum habuisset in conclaui, & ob oculos! in larario minori autem habebat icones *Virgilii*, *Ciceronis*, *Achillis* & ceterorum. LAMPRIDIVS, historicus, qui veritatem non perdidit, haec in vita Alexandri Seueri commemorat. Quamquam vero deorum imagines in aedibus suis haberent veteres, easque adorarent; veruntamen intra priuatos parietes illis sacrificia offerri, vel maxime nefas erat. Idquod probe notandum. Namque scimus Alcibiadem aspersum esse infamia, quod in domo sua *facere mysteria* dicebatur. *Mysteria facere*, non adorationem solam, sed sacrificia denotat. Sacrificia autem diis domi offerre, nefas fuisse, dicit *Nepos in Alcib.* addit causam; quia id non ad religionem, sed

ad

ad coniurationem pertinere existimabatur. Nam sacrificiorum sanctitate homines seditiosi plerumque suos concatenabant animos. Igitur, ne specie pietatis & cultus diuini simulatione factionum globi fierent; sacrificia in aedibus priuatis infamiae notam aspergebant.

II. *in conclauibus multo nitidissimis* spectabantur etiam imagines. Conclauia primaria apud Romanos in prima parte aedium iuxta vestibula erant. Sic enim ait *Nepos* in *praef. quem Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium, aut cuius-materfamilias non PRIMVM LOCVM TENET AEDIVM, atque in celebritate versatur.* In illis autem conclauibus conspiciebantur non, nisi triclinia, vasa magnifica & imagines. Aliam supellectilem in veterum conclauibus non memini.

III. *in cubiculis* quoque imagines ponere suescebant veteres. Romani

est, quod viri docti vel minimas antiquitatis reliquias, quae e naufragiis euaserunt, sollicite nostro colligant tempore. Sicuti nuper clarissimus lycei Rutheni, quod Gerae floret, conrector, M. IACOB. GOTTOFR. HAVPTMAN, programma edidit de *exedris*; in quo hos veterum suggestus bene delineauit. Exinde didici, quod tales exedrae, quae cathedrae doctorum publicae penes Graecos erant, variis imaginibus exornatae fuerint, perinde ac suggestus in aedibus nostris sacris, picturis & imaginibus quondam amiciebantur.

VIII. *in aliis denique multis locis* imagines erigebat cana antiquitas: exempli gratia in *sepulchris*, vt CICERONIS verba produnt *pro dom. mulieris*, qua de ibi loquitur, *simulacrum e marmore in sepulchro positum fuit.* Neque imagines non erant in *porticibus*; veluti e *Nepote* notissimum est, qui de Miltiade notat, quod in porticu,

ricu, quae Poecile vocabatur Athenis, eius imago in decem praetorum numero prima poneretur.

Claudam nunc fores, spe fretus, quod ad declamandas imagines pendulas pertineret; nihil me fecisse reliqui. Adiiciam tamen, pace lectoris, examen.

§. VI.

Cui bono imagines penderent in parietibus?

Rationes, ob quas omnibus prope gentibus placebat consuetudo conseruandi imagines suis in domicíliis, rimari facili possumus negotio.

I. *fiebat ad reuerentiam idolis iugiter exhibendam.* Eo enim consilio imaginibus deorum, quos vel maxime sibi propitios ducebant, facellae veterum domesticae stipatae erant;

vt deos, sibi amicos, nullo non tempore secum haberent.

II. *fiebat decoris & voluptatis gratia.* Si tristes exceperis Catones, quibus tota frons ad seueritatem natura facta videtur; pauci erunt, qui pulchrae imaginis venustati ac gratiae non applaudeant. Mirum ergo non est, ob oculos talia oblectamenta posita fuisse omnibus temporibus.

III. *fiebat in memoriam* των αρχετυπων, seu illorum, quos repraesentabant icones. Virtus, fidelitas & industria obrui non debent hominum interitu, nec obliuione posteritatis extingui. Vnumquemque, qui ad laudem creatoris sui spiritum ducere, & spectro vtilius in orbe versari satagit, profecto delectat, si reminiscit, res suas bene gestas, & apud deum & apud posteros adamantinis consignatas esse monumentis. His

vero

vero virtutis mausoleis non possumus, quin imagines, simulacra, statuas adnumeremus. Nonne enim ab vltima fere hominum memoria effigies magnorum hominum a puluere & ab obliuione vindicatae sunt incolumes?

IV. *fiebat denique, vt expergefacerent mentem ad laudabilia.* Historia & pictura acutissimi stimuli fieri possunt virtutis; dummodo haec a deo sata sit, cum deo se cingat, & in dei supremam gloriam nitatur.

Θ. M. Δ.



